

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimo-nono menſis Martii, Anno Domini M. DCC. LIX.

PRÆSIDE

M. BERNARDO DEJUSSIEU,
Regi à Conſiliis & Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ & Societatis Londinenſis Socio, in Horto Regio Botanices Prodemonſtratore, Doctore Medico.

An conſpirantibus Medicis & Magiſtratibus, Sanitas publica conſervari, & morbi præcaveri poſſint.

I.



HYGIEINE prima Medicinæ practicæ pars in tres dividitur ſectiones, prima exponit ſigna ſanitatis præſentis & modum corporis in ſtatu ſano ſervandi συντερηθικη nuncupatur; altera docet præcavere morbos naſcentes illoſque prævidere προφυλαξις vocatur; ultima (*a*) quæ γεραιολογια dicitur, feſtinantia mortalium fata moratur, (*b*) & declarat quæ ad corporis longævitatem conducant.

(*a*) Gereologiam Hygieinæ adjunxit baco verulam de dignit. & augment. ſcient. lib. 4. cap. 2. » intentiones ad vitam prolongandam ſunt, retardatio conſumptionis, probitas reparationis, renovatio ejus quod veteraſcit. «

» (*b*) Hæc medicinæ pars, omnium nobiliſſima

hujus ſcientiæ utilitas, & præſtantia, ex eo manifeſtè evincuntur, quod à firmâ valetudine corporis vigor & alacritas, mentiſque acies pendeant: hùc accedit quod, cum inter homines ferè nemo ſit, qui in uſu ſex rerum non naturalium ab utilibus noxia poſſit ſecernere, ad Medicos confugiendum eſt, qui toti ſunt in dignoſcendis lædentibus, & juvantibus rebus, quemcumque caſum ſortiatur corpus humanum. Principia Phyſicæ tum dogmaticæ tum experimentalis & anatomes quibus higieine adſtruitur, ejuſdem arguunt certitudinem. Denique ſi, quod nemo ſanæ mentis negaverit, feliciùs morbo venienti occuritur, quam longâ morâ invaleſcenti medetur; naſcentemque opprimere quàm curare provectum faciliùs & tutius ſit; Quis dubitet quin his maximè caſibus ars medendi ſibi ſucceſſum ſuo jure poſſit ſpondere, cum rectè obſervantur Hygieines regulæ? Nulla medicinæ pars, inquit Hoffman, (c) tam in poteſtate Medici eſt quàm Hygieine & hìc maximè valet illud Naſonis Dictum (d).

Principiis obſta, ſerò medicina paratur
Cum mala per longas invaluere moras.

A ſapientiſſimâ antiquitate maximo in pretio habebatur Higieine, tuncque Medici ſalutabantur ὑγιεινοί; qualia hodiè præſidia ſoli Principes ſibi circumdant; eam tamen medicinæ partem colimus, futuri tum nobis, tum amicis utiles; quos ſi pauciſſimos exceperis, cæteri homines aut ſuis diſtracti negotiis, aut libidinibus paſſim obſtrepentibus avocati, curam ſuæ valetudinis aut ſummæ providentiæ demandant, aut principibus, quorum ut floreant civitates, id maximè intereſt, ut ſcilicet omnes cives tutò, diù & proſperè vivant.

Lutetiæ talis eſt ſitus, ut hoſtiles adſultus longo deſpectet intervallo, tuta foris; ea eſt interiùs diſciplina, ut hinc ſapientiâ legum indè magiſtratum vigilantiâ procurante, quietiſſimè regatur tuta domi; ſed latent occulti inſidiatores vitæ civium hoſtes, magiſtratibus ſimul & medicis publicæ ſanitatis vindicibus cuſtodibuſque debellandi, ne quid à cauſis externis incolæ capiant detrimenti, neve domeſticarum cauſarum lædantur violentiâ vel malignitate. Illi ſalutis publicæ hoſtes, ſunt cauſæ morborum communes quas veteres Medici non olfacientes, morbos quoſdam credidêre divinitùs immiſſos; Homero autore, diſci poteſt (e) « morbos tunc ad iram Deorum immortalium relatos eſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam: » at nos hodiè non hunc potiùs quam illum morbum à cœlo afflari credimus, nec ullum phœnomenon in naturâ obſervari cujus ratio labore improbo deprehendi non poſſit.

Detectis ſemel his morborum cauſis à Medicis ſaluti publicæ invigilantibus, qui præſunt, juvante conſilio Medicorum, vulgaribus malis communia debent adhibere remedia, quæ quantum cauſa mali latè vagatur, tantum & ipſa pateant. Quam civitatibus prodeſſe poſſit, illa Medicorum & Magiſtratuum conſenſio, cognoſcebat Plato cum ſcripſit; (f) » malæ & indecoræ morum culturæ in urbe nullum majus habere poteris argumentum quam indigere Medicis Magiſtratibuſque ſummis; & in alio loco, (g) major in republicâ neceſſitas eſt Medicorum quam mercatorum. »

Jam Regum in ſuos amor, & Magiſtratuum prudentia, commonentibus crebro Medicis, iiſque ſemper ſuadentibus, plurimas tulere leges eaſque ſapientiſ-

eſt; Medici non propter neceſſitatem honorabuntur, ſed propter donum ex terrenis quaſi maximum cujus poterunt eſſe ſecundum Deum diſpenſatores. » Sylva ſylv. Bacon.

(c) Hoffman. oper. tom. 1. part. 3. cap. 9.

(d) Ovid. Ars Amandi.

(e) Cornel. Celſi, de med. lib. 1. præf.

(f) Plato de republ. lib. 3.

(g) Plato in gorgiâ.

ſimas, quibus illud eſt propoſitum, ut quidquid civium ſanitati poteſt officere aut procul amoveatur aut ſaltem coerceatur. Nobis animus eſt hìc demonſtrare, tam ex legibus jam latis (g) quam ex iis quas ad publicam utilitatem inſtituendas ſuadebimus, poſſe civium ſanitatem vigere incolumem, multoſque arceri morbos à plebe potiſſimum, quâquidem reipublicæ parte nulla eſt, aut numero frequentior, aut operâ utilior, nulla tamen, ut plurimum deſerta magis; ei ſcilicet parti meum laborem imprimis dico, ducibus clariſſimis Ramazzini (h) & Hecquet (i) & dum quæ publicæ ſanitati noceant & quo pacto poſſint amoveri inquiro, id ſolum ſtudeo ut meâ operâ tot meritis in patriæ theſaurum à ſaluberrimâ facultate Pariſienſi (k) collatis, quaſi obolus acceſſiſſe videatur. Multiplicis generis ſunt quæ ſaluti publicæ obſtant. 1°. Sunt plura maximi momenti quæ vitari nequeunt, qualia aer, aqua, alimenta, panis, quæ vitiata ſanitatem pervertunt 2°. Plebs in morbos incurrit, vel leviſſimis allecta irritamentis, ut fit quoties vina turbida, recentiora, & liquores ardentes nimiâ quantitate, & tempore incommodo haurit, vel cum pomis fructibuſque horæis nondum maturis ſe ingurgitat. 3°. Sœpiſſimè vel inopiâ rei familaris, vel ſtultitiâ in maximis periculis verſatur plebs, dum imperitis obſtreticibus, circulatoribus, & medicaſtris ſe ſuoſque permittit.

(g) Elaboranti mihi circa res de quibus jam à magiſtratibus ſtatutum eſt, mens erat ut quid illi juſſiſſent, & quid vetaſſent adnotarem citaremque; ſed cupienti tempus defuit: conſuli poteſt hâc de re opus cui titulus eſt. *Traité de la Police, par De la Marre.*

(h) Bernard. Ramazzini, de morbis artificum diatriba.

(i) Philipp. Hecquet, Doct. Pariſ. La médecine des pauvres.

(k) Statut. facul. Med. Pariſ. art. 2. » omnibus Sabbati diebus ſex Doctores cum decano pauperes ægros accedentes benignè audiant, & ſedulo examinatis eorum morbis medica conſilia humaniter largiantur. »

II.

ATMOSPHÆRÆ quæ terreſtri globo undequaque circumfuſa eum penitiùs penetrat, ea eſt moles, quâ nulla forſan in totâ naturâ pluribus compoſita partibus reperitur: Conſtat illa quidem aeris tenuiſſimis & maximè elaſticis partibus, aqua, igne (a) corporum cœleſtium aut ſaltem materiæ luminis effluviis, (b) corpuſculis denique ex omnibus naturæ corporibus elapſis, in quæ aer ſive per partes conſtituentes, ſive per particulas cujuſcumque generis quas ſuſtinet, vim ſuam exerit, quæ quidem omnia inter ſe mixta & conjuncta fortè etiam aſpectu planetarum mutata, menſtrua componunt diverſi generis quorum tanta vis eſt, ut omnia corpora, quibus conſtant tria naturæ regna diſſolvant, deſtruant. Nonne ex illâ prope infinitâ rerum varietate oritur ſingularis aeris virtus, cui tum animalia, tum vegetabilia ita ſubjacent ut ſine aere animalium vita, (c) & vegeatio, (d) imo rerum natura fatiſceret?

Perpetua atmoſpheræ actio quæ corporis noſtri ſuperficiem premit, in illud ſeſe per aeris alimentorumque meatus inſinuat, noſtris humoribus, chylo ju-

(a) Animalium calor, ſcintilla & ignis frictione ſaxorum & lignorum eliſus, fulminaque eam antiquis opinionem injecerant ignem ubique diſpergi, quod manifeſtè jam nobis experimentis electricitatis compertum eſt, quibus ex ominibus naturæ corporibus ignem educimus & quaſi totidem redivivi Promethei fulmen è manibus Jovis ope acuti ferri valemus excutere. Vide Mem. de l'Academie des Sciences 1750. Mem. des Sçav. Etrang. tom. 2.

(b) Boerhave Chem. de aere Shaw. lec. 3. chym. lec. 3. Boyle, experim. de aere. Arbuthnot, eſſai ſur l'air chap. 1.

(c) In montibus excelſiſſimis, ubi aer vaporum ferè expers eſt, difficile reſpiratur. Extinguuntur in vacuo Boyleano animalia eo citiùs quo grandiora.

(d) In vacuo Plantarum ſemina non germinant & vivaciſſimæ plantæ enecantur; quod facile intelliget quiſquis computabit quantam aeris copiam vegetabilia abſorbeant, vide Halles ſtat. veget. chap 5.

vante, commiſcetur & (e) per vaſa cutis inhalantia longè copioſior abſorbetur, quam ponderis amittimus per perſpirationem Sanctorianam, ea inquam actio in corpore, quicumque ſit ejus habitus, multum ſibi vindicat; „ (f) ex caliginoſo „ aere, caliginoſi, ex cœlo ſereno, puri, tenues & propterea ſalubres mortalium ſpiritus & humores. „ Quoties cumque mutatur aeris temperies, nobis ſemper eſt cur aut timeamus aut ſperemus; aeris enim acceſſu fluida & ſolida corporis varias ſubeunt alterationes, ratione motus craſis, conſiſtentiæ, denſitatis & elaterii. Aer, inquit Hipp.; (g) „ maximus eſt omnium quæ corpori accidunt auctor & dominus; vitæ & morborum faber eſt; illius in naturalia corrumpendi & conſervandi vis eſt maxima, „ unde frequentiores aeris viciſſitudines mortis præcipuam eſſe cauſam cum Bacon de Verulam pronuntiari poteſt. Aeris ſalubritas & in ſalubritas à quantitate & qualitate partium quæ illi innatant, à rarefactione & elaſticitate ejus pendent; & cum à benignâ indole & gradu temperato recedit atmoſphæra, corpora noſtra contrahunt damna graviſſima; quidquid delirat aer, plectuntur homines.

Tempeſtate valdè ſiccâ & frigidâ, perflante diu aquilone vel cæciâ, liquida denſantur, ſolida conſtringuntur. Tunc in debilioribus hominibus fluidorum motus minuitur, imo ſuffocatur; humor qui per perſpirationem effluere debet intrà corpus retinetur, pars ejus craſſior acris fit, pars ſeroſa refluit & in vicinis locis glanduliſque præcipuè congeritur; pulmones ampliſſimâ ſuperficie contactum aeris admittentes ſtringuntur, minus perſpirant, accumulatur humor bronchialis & lentorem contrahit; nervi maximè afficiuntur, unde omnia ſymptomata nervoſa hâc temperie obſervantur frequentiora. Sed in corporibus robuſtis frigus naturam adhuc robuſtiorem facit, functiones ſunt valentiores, diminutâ enim capacitate vaſorum & auctâ fibrarum elaſticitate, liquidorum velocitas major eſt, fluida per vaſa tranantia ab his plus patiuntur, vehementius ad latera applicantur, ex attritu tam valido & tam rapido curſu globuli ſanguinis compinguntur, craſſus viſcoſuſque fit cruor, omnes humores fortius acti loca inſueta ingrediuntur, denique calor internus urit & deſtruit humidum, dum cutis à frigore corrugatur. Hæ ſunt cauſæ prædiſponentes gravedinis tuſſis catarrhi anginæ hœmophtiſis pleuritidis, peripneumoniæ, lethargi, doloris capitis, laterum, lumborum, febrium acutarum, paroxiſmorum, aſthmatis, rheumatiſmi, arthritidis. Cauſæ vero proximæ tam frequentes in plebem vagantur ut diutius protractâ ſiccâ & frigidâ aeris conſtitutione, affectus illi fiant endemici. Illæ cauſæ ſunt immodicæ corporis exercitationes, ſpiritus ardentes, alimenta acria, diſpepta, aer frigidus, potus frigidus corpore calente admiſſus, & labores quibus homines ex imâ plebeculâ occupati perpetuo inſudant, quales præcones, vectores, bajuli, curſores, aurigæ, &c. quorum frequentiâ redundant noſocomia, quamdiu illa aeris conſtitutio debacchatur.

In illo ſtatu atmoſpheræ nimiam ſiccitatem nimiumque frigus ſpirantis, miſerandum videtur, quod à plebe non poſſit arceri, morborum inflammatoriorum genus corporibus robuſtis & induratis quàm quodlibet aliud exitioſius. Infauſti illi homines quos ægre ſuſtentat aſſidua defatigatio, nonne cœlum accuſare poſſent, quòd inæquali conditionum præſtitutâ ſorte, dum ipſi Deo laborem præcipienti parent, vitæ diſcrimen adeunt. Divitum quidem pietas plebem tutam præſtare poteſt à pluribus morbis. ſi veſtimentis adversùs frigus aptatis, inopes carere non ſinant. Qui regendæ intus urbi præſunt & ipſi morbis occurrere poſſent, ſi curarent patere pauperibus focos publicè conſtitutos quò confugerent, quamdiu eorum operæ non deſiderantur: præterea ſi caverent, ne caupones eidem homini ultra

(e) Arbuthnot, eſſai ſur l'air, cap. 3. §. 24. Kawboerrhaw perſpirat, hippip. n°. 421 517.
(f) Duret, in coac. cap. 9. §.
(g) Hippocrat. de flat.

quamdam moderatam potionem tum vini tum ſpirituum ardentium ingererent.

Nulla tempeſtas majora plebi procreat incommoda, pluriumque morborum ferax eſt quam frigida & humida, quâ regnante circulatio imminuitur, calor, vis vitalis decreſcunt, inertia coguntur fluida, corpora opplentur crudis humoribus per perſpirationem non expulſis; imo corpus ſubeunt particulæ frigorificæ quarum introductioni favet humiditas, & illæ fluida ad congelationem ſpiſſant, ſolidiſque ſenſibilioribus adhærentes nervos continuo laceſſunt, irritant; ſupprimitur precipuè exhalatio pulmonalis, cumque expirationis humiditati conjungatur humidum aeris, brevi vaſa pulmonalia obſtruuntur. Indè, tuſſes, pleuritides, peripneumoniæ, leucophlegmatiæ, tumores faucium, febres cartarrhales, dolores articulares, erratici. Qui morbi brevi graſſantur in omnem vulgi turbam, cum ex iis quæ poſtea memoraturi ſumus, aeris frigidi & humidi ingraveſcant effectus. Pleraque plebs non aptè ſatis tegitur quæ ſe deffendat à frigore; veſtes aere udo imbuti vel imbribus madentes, pleroſque gelido balneo malè fovent: adde quod in viis, aquâ & luto, ut tunc fieri ſolet, ſtagnantibus, incedunt nudis nonnumquam pedibus & cruribus, quæ ſic per totum diem natant & rigeſcunt. Quæ quidem incommoda & per ſe increbreſcunt & aliorum concurſu cumulantur, effuſis cœlo nivibus & iis liqueſcentibus. Nives ſeu quæ, decidêre in vias ſeu quæ de tectis defluxere, ſeu quæ ex variis ædibus exonerantur, totam urbem ſævâ illuvie deturpant quæ virus quoddam concipit, coacervatâ excrementorum congerie quæ derivantur in vias ubi ſordes & immunditiæ nive non fluente exaggerantur: idem fit poſt grave & diuturnum frigus miteſcente gelu, luti quo, viæ plurium pollicum altitudine conſternuntur, virulenta qualitas manifeſta ſe ſe prodit morbis crurum dictis vulgò *Javars* quibus laborant equi plerique qui, dum illa ſævit illuvies, urbem calcant. Atmoſphæræ geliditatem & humiditatem inſuper auget fluens tabes liqueſcentis nivis; cum enim aer ex corporum humidorum contagio contractas frigorificas particulas ibi exoneret quo ſe inſinuat, indè fit ut ad eos quoque quorum labor non extrà tabernam vagatur, ea moleſta conſtitutio pertineat, aere ſecum, in locos humiles quibus includuntur, geliditatem & humiditatem invehente.

Ut levaretur plebs in hâc temperie undè plures exiſtunt morbi, quæque magis moleſta eſt quam quodlibet aeris vitium, optandum illud eſſet ut in fovendâ plebe magiſtratuum diligentiæ divitum pietas accederet: hi plebeculam inopem curarent à frigore aptis veſtibus tegendam; illi in viis crebros ignes incendi, aut certos in urbe locos aſſignari juberent, ubi plebs publicè calefieret; nivibus ſtatim ut cecidiſſent exportandis invigilarent, ne ſpatium liquefactionis daretur. Quod ſemel accidiſſe teſtis eſt hiſtoria (*h*) Pariſienſis. anno 1434. ſingulis diebus nives in plateam vulgò *la Greve* exonerabantur. Adde ut & glacies miteſcente primum gelu extrà urbem deveheretur.

Tempeſtas calida & ſicca ab ipſo Hippocrate magis ſalubris cœteris pronuntiata, cum ad ſummum pervenit gradum vel diutius durat, nullam aeris conſtitutionem pejorem agnoſcit; omne quippe extremum naturæ eſt inimicum. Hæc conſtitutio αυχμος ab antiquis dicebatur » ſiccitas bona eſt, ſed αυχμος & tempus αυχμηρον malum eſt inquit (*i*) Ballonius; « quas enim in corpore alterationes producere non poteſt aeris pondus auctum aliquando uſque ad decimam partem ponderis medii, id eſt circiter ad 3982. liv? Ex ſiccitate fibrarum rigiditas, ex calore fluidorum rarefactio ſequuntur, quæ ſimul validiorem attritum & in vaſcula aliena propulſionem producunt, quibus, ruptis vaſis, extùs erumpunt flui-

(*h*) Hiſtoire de Paris.

(*i*) Baillon. Epidem. Pariſ. conſtitut. hyemal. 1575.

da ; vel intùs retenta celeriter ad putredinem vergunt. Si diutius remanet æstuans atmosphæra, vaporibus sulphureis onustus aer plurimum elasticitatis suæ amittit, pulmonibusque explicandis, sanguini ebullienti condensando, & refrigerando jam non est idoneus, perspiratio & sudor maximè intenduntur, humidumque non tantum ex superficie corporis, sed ex sanguine & aliis humoribus, ipsoque fluido nerveo, quasi sitiens, exsugit atmosphæra torrida; humores conpinguntur & in massas fere irresolubiles abeunt, olea, sales, ad acrimoniam justo majorem transeunt, solida exsucca, rigida & immobilia fiunt, indè virium lapsus & prostratio, hæmorrhagiæ, hæmopthises, dyssenteriæ, colicæ biliosæ, cholera morbus, febres acutæ, continuæ, ardentes, vomitus, epilepsiæ, insaniæ. Illorum aeris sicci & callidi effectuum, longè major vis esse debet in hâc urbe ubi tot hominum totque animalium respiratio & perspiratio, crebræ solis radiorum repercussiones, ejus in pavimenta refractiones, focorumque frequentia, aeri propè modum inflammato & longè nimis rarefacto ita prorsùs vim suam adimunt, ut vitam nec jam enutriat nec foveat: Ubi perspiratio pulmonalis & cutanea, putrefacti halitus sive ex animalium excrementis, sive ex cloacis latrinis lutóque emissi, aerem vitiant, qui obstante nimiâ tectorum altitudine, non renovatur & citiùs corrumpitur; aerem illum fermentum quoddam dicas, quod nostris commixtum humoribus, morbo cuilibet, quamdam afflare potest malignitatem & contagium, imò pestem procreare: apud livium (κ) legitur ob nimium squalorem Romæ pestem fuisse factam: (*l*) anno 1466. mense Augusto, ex tempore fervidiori, morbi contagiosi Parisiis grassabantur: (*m*) anno 1714. ob nimiam aeris siccitatem Londini mortuorum numerus ad 5000. excrevit. Hæc dira aeris constitutio mansuesceret, si & viæ publicæ sæpissimè irrigarentur, & fontes perpetuò manarent in vias, quorum ope calor & siccitas atmospheræ temperarentur: præterea si in urbe tum ipsa intùs ædificia, tum extrinsecus viæ publicæ & fora quibus carnes, pisces, casei, vegetabilia solent exponi venalia, immunditiis accuratè expurgarentur, ne aeris puritas vitiaretur.

Humidâ & calidâ aeris temperie atmosphæra solitâ & requisitâ majori levitate peccat, undè mercurius in barometro demittitur & animalia insolitam experta actionem, vociferant, agitantur, Tunc corpore minus presso, elasticitas fibrarum minuitur, crescunt canalium diametri, ex solutâ materie elasticâ; qui fluidorum corporis compositionem subeunt humores, rarefiunt, non coerciti vagantur, in vascula aliena recipiuntur; solida humectata flaccescunt inertia fiunt; non amplius aptus aer novos vapores e corpore recipere, dissipare, laxat fibras, perspirationem inhibet. Calor magnus si humido accesserit, summa inducitur solidis laxitas, debilitas, undè fibræ ferè resolvuntur, coctio, circulatio torpent, fluida in pulmonibus malè subiguntur, excretione cutaneâ minutâ, non defæcantur humores, stasis putredo sequuntur; undè febres lentæ, duplices tertianæ, putridæ, variolæ, mali moris, febres malignæ, putridæ, dysenteriæ & morbi omnes contagiosi & pestilentiales quos constitutionem aeris humidam & calidam comitari constanti observatione (*n*) comprobatur. Quódque notatu dignum (*o*) clar. Home leydæ ægrotantium numerum aeris humiditati ab hygrometro mensuratæ liquido respondisse observavit.

Illa aeris calidi & humidi, seu cænosi noxia constitutio Parisiis periculosiùs imminet, ubi fovendo calori, & humiditati augendæ, omnia conspirant, ubi ex

(*k*) Tit. liv. Histor. decad. 4. lib. 1.
(*l*) Ballon. Epid.
(*m*) Arbuthnot, essai sur l'air, chap. 6. §. 39.
(*n*) Hyppoc. Epidem. lib. 2. sect. 3. lib. 3. sect. Galen. de temperam. lib. 1. cap. 4. Comment. in Epip. lib. 3.
Leon, hist. Africæ. lib. 1.
Baillon, Epidem. Paris. 1570. 1574.
Pringle, maladies des camps, part. 1.
(*o*) Home. differ. pag. 19.

multiplici cauſarum concurſu, increbreſcit putrefactio, ſcilicet denſatis cujuſvis generis, præſertim animalium halitibus, quibus atmoſphæra, graviùs quam alibi, laborat onerata & inquinata. Quibus patet, quantum reipublicæ interſit, depelli vel coerceri ſaltem, cauſas quibus invehuntur morbi contagioſi peſtilentiales & ipſa peſtis. Quod ut præſtent qui præſunt, duo ipſis debent eſſe propoſita 1°. ut putridis exhalationibus minuendis invigilent 2°. ut aeris vitia corrigant; quæ quidem aſſequi poterunt, ſi caverint ut viæ publicæ immunditiis expurgentur, ut puræ ſiccæ ſerventur ædes, ne ſit ullus in urbe locus ubi putreſcant aquæ, ne cui animali niſi planè neceſſario pateat in urbem ingreſſus, ut animalium excrementa citiùs foris exportentur, ut exulet ab urbe quodlibet opificium aeris ſinceritati imminens; ſi jubeant ut paſſim accendantur ignes, injecto præſertim ligno reſinoſo, quorum ope quanta commutatio fiat in atmoſphærâ, quam reviviſcat aeris ſalubritas, nobis experientiâ (p) compertum eſt; tormenta bellica crebro explodantur, pulſentur campanæ quibus latè moveatur aer.

(p) Hippocrates peſtem oppreſſit quæ ex æthiopia Græciam devenerat, accenſis ignibus odoratas injiciens herbas & flores quæ aerem repurgarunt. Argon Medicus Athenienſis urbem eodem modo à peſte gravi liberaſſe dicitur.

I I I.

NON tantum calore, frigore, ſiccitate, humiditate aeris ſævientibus graviter afficitur corpus humanum; miſceri adhuc poteſt atmoſphæra partibus eterogeneis, ſanitati maximè infenſis, tria genera exhalationum agnoſcimus quæ in hâc urbe morborum ſunt ſeminia, ſcilicet animalia, vegetabilia & mineralia effluvia; primo quidem de animalium & vegetabilium exhalationibus & imprimis de halitibus corporum putredine reſolutorum qui aerem inquinare noſtriſque humoribus commixti craſim & conſiſtentiam illorum cito & prorsùs ſolvere ſolidaque deſtruere poſſunt.

Quanta in hâc urbe illorum effluviorum abundantia! copioſi utique & peculiares unicuique animalium ſpiritus, exhalati aſſiduè de corporibus vivis tum per perſpirationem cutaneam tum per pulmonalem, per aera diſſipantur, quos quidem aeris elaſticitatem minuere probavit ſagaciſſimus Halles (a): Nonne etiam aer ex tot compulſis animalium halitibus indolem concipere poteſt corruptioni obnoxiam quæ cernitur (b) in balneorum aquis, quibus brevi odor cadaveroſus ſuffunditur. Dein excrementa animalium, quorum pene infinitus hic numerus porpetuò ſecreta, in aera ex parte avolant. Latrinæ omni tempore, ſed precipuè nimboſiore & calidiore, peſtifero ſuo fœtore omnes domos replent. Fimus equorum in cavædibus coacervatus odorem nauſeoſum in vicinia diſpergit. Stramentum quo conſperguntur viæ antè ædes ægrotantium, ſordibus mixtum & conculcatum, brevi corrumpitur vaporeſque putridos emittit. Stercora noctu tantâ quantitate dejiciuntur, ut qui benè manè egrediuntur, fœtore aeris perculſi, ſtomachi ſubverſionem ferè patiantur. In omnibus urbis regionibus, foricarum quotidiè fiunt expurgationes quæ longè latéque mephitim teterrimam diffundunt. Multiplici cæno viæ conſperguntur, ex omnibus enim ædibus perpetuò ferè derivantur aquæ urinoſæ, tinctoriæ, lixiviales, ſaponariæ laniariæ cum quibus fraceſcunt animalia & vegetabilia olea ex tot culinis decurrentia, quorum ſubtiles moleculæ calore volatiles factæ, atmoſpheram inquinant.

His poſſunt accenſeri officinæ multæ quæ viſu graves & odoratu fœtidæ ſunt, (c)

(a) Halles. ſtat. des veg. chap. 6. vide Gorter de perſpirat. cap. 2.
Kauboerhaae perſpirat. Hippoc. Arbuthnot, eſſai ſur l'air, chap. 1. 5.

(b) Arbuthnot, eſſai ſur l'air, chap. 1. §. 15.

(c) Ramazzini de morbis artfic.

coriarii, fidicinarii, qui morticina tractant, fullones qui lotio putrescente vestes à sordibus purgant, candelarum sebacearum opifices quorum opera latè grave olet, (*d*) serica opificia & bombyces quæ ingratus odor sequitur, (*e*) saponarii quorum aquæ aeri vim deleteriam communicant, (*f*) figuli quorum in cellis aqua putrescit & plumbum maceratur, qui omnes opifices prætereuntibus non levem, vicinis vero maximam & quotidianam pariunt molestiam, urbisque atmosphæram putridis vel facile putrescentibus vaporibus replent. Quis in hâc urbe millies non exsecratus sit emporia & omnia loca ubi venales exponuntur pisces, carnes, casei, plantæ quæ aere fervido fœtorem spargunt intolerabilem. Non minus ingratum diffundunt effluvium ædes ubi resarciuntur venduntur que vestes obsoletiores, (*i*) & eæ ubi viles spurcissimæque laciniæ papyro conficiendo destinatæ, congeruntur. Non innoxia certè consuetudo cadavera intra urbes & ipsa templa sepeliendi. Quantis incommodis obnoxius sit mos ille, hucusque frustra expositum fuit. Lentè è terra exsurgunt subtiles ideoque periculosiores halitus qui aerem insalubrem reddunt: hinc febres malignas, cachexias, mortes subitaneas vespillonibus frequentes esse observavit Ramazzini (*g*) illosque faciem luridam & habitum cadaverosum præ se ferre; Pessimè æstate præsertim sacræ ædes redolent cum gravi (*h*) adstantium noxâ. In urbis regione dicta vulgò *la Cité* & quibusdam suburbiis, aer qui ob summam tectorum altitudinem, nec moveri, nec renovari, nec vento, nec sole purgari potest, veluti immobilis aqua corrumpitur; hos locos plebs præsertim sortita, tectis habitat humidis & demissis seu potiùs stabulatur, ubi perpetuò stagnat aer & mucor muris supellectilique inductus, sedes malè sanas arguit; adde & squalorem plebi insitum, aut quibusdam opificibus inhærentem illuviem, unde non mirum, si inter infimæ sortis homines, celeriùs diffundantur pestis & morbi contagiosi, (*k*) faventibus tum sorditie domorum angustarum in quibus exhalationes colliguntur & exitiosæ fiunt, tum linteorum & vestium spurcitie quam hauriunt vasa corporis inhalantia. Proximè ab urbe equi mortui, quorum numerus quotidie maximus est, jacent, ibi aere libero putrescunt, & in atmosphærâ ut ita dicam sepeliuntur; quantum polleat ad aerem inquinandum animalium corruptio, nemo non novit cùm sæpius fuerit observatum (*l*) ex insepultis cadaveribus post magna prælia commissa diras pestilentias enatas fuisse; putridum physeteris cadaver ad littus appulsum vicinas provincias peste infecit, teste Plutarcho. Minimâ ab urbe distantiâ purgamentorum reperiuntur receptacula, quibus nil putidiùs invenies, illorum miasmatibus vicinia maximè morbosa redduntur; præterea venti qui solum cadaveribus aliisque veneficis & putridis corporibus inquinatum, & aerem oleis pinguibus vegetabilium & animalium repletum inveniunt, ea in urbem dispergunt; ibi calore, quiete, humiditate fota atmosphæram corrumpunt, civibusque graviora mala minantur. Neque vero quis putet halitus illos in immensa divagari aeris spatia, civitatique nocere non posse? circumvolitant, imo Lutetiam circumvallant atmosphærâ particulari (*m*) & insalubri, residentes circum circa, ut pote qui ponderosiores sint aere; quam satura sit his inquinamentis atmosphæra Parisiensis abundè docet experientia. Carnes cito putrescunt, cibi cocti facilè mucescunt, vestium vividus ni-

(*d*) Lancisi de noxiis palud. Effluv. p. 366.

(*e*) Id p. 17. Boyle de nat. Effluv. cap. 4.

(*f*) Ramazzini lib. c.

(*g*) Rammazzini l. c.

(*h*) Rammazzini l. c. Mem. de l'Academie des Sciences, année 1749.

(*i*) Contagium diu conservatur in vestibus laneis. vid. omnes auctores de peste.

(k) Hoffman dissert. de peste.

Schoerkius, historia epid. germ.

Vander, mic. de morbis bredanis. Ephem. nat. cur dec. 1. an. 2.

(*l*) Rammazzini l. c. Kirker de peste.

Wansvieten in aph. Boerh. §. 1150. Mundius de aere, Jul. Alex. de bello punico.

(*m*) Effectus illius atmospheræ peculiaris in se bis expertus est Noël Falconet vid. sistême de fièvres pag. 43.

tor

tor brevi marcescit, linteorum chartarumque flavescit albedo, aurum argentum cætera metalla citissimè denigrantur, domus recentes situ contracto squallent; sæpiùs densæ notantur nebulæ quæ malè olent, fauces afficiunt & oculos rubore suffundunt; aere vel maximè sudo Lutetiam prospicienti, urbs tota sub nebulis apparet; cum urbem ingreditur peregrinus gravem quæritur odorem; denique si ex civium colore, soli & cœli natura deduci potest, Parisini colore pallidi, viribus hebetes, scorbuto consumpti eorum testantur insalubritatem. Talis atmosphœra non semper vi deleteriâ agit, sed morbos creat diuturnos, refractarios, malignos difficilè natura & arte superabiles.

Expositis hucusque causis, quæ urbis aerem vitiare possunt, & ei qualitates afflare sanitati noxias, super est ut remedia in medium afferamus, quæ utrum usu adhiberi possent nec ne, soli magistratuum experientiæ & prudentiæ compertum est. Camarinam movere non reformidat utilitatis publicæ cupidus, & Medicus cui (*n*) „necessum est ingrata tueri & immania tractare." Torrentes corrivari amnesque ad declivia loca perduci possent, quorum motu rapido cænum & immunditiæ omnes quotidiè ex viis elicerentur: vel in locis sublimibus urbis extruerentur aquarum receptacula, quæ, effluvio certis horis emisso, rapide vias everrerent & domorum purgamenta opportunè ingesta precipiti cursu secum abriperent. Quin & illa opera (*o*) Romæ regnante Tarquinio substructa apud nos renovari quam expediret. Commoditati publicæ civiumque valetudini laudabiliter consuluit Imperator, subterraneis purgamentorum receptaculis tanta magnificentia extructis, ut Marcus Agrippa in sua ædilitate cum septem amnes in fornices derivasset, per eas in tiberim deveheretur. Cloacæ illæ, operum omnium dictu maximum urbi munditiem & salubritatem præstiterunt: occurrebant enim in singulis ædibus & viis veluti cuniculi in quos purgamenta detruderentur & indè in fluvium raperentur. Non parum etiam civium hujus urbis sanitati prospexit D. Turgot cujus curâ substructa fuit cloaca illa quæ partem Lutetiæ cingens, aquas lutum & alias sordes recipit, deducitque in sequanam. Optandum esset ut cives leges in suum commodum positas tam frequenter non violarent, dum aut sordes domorum, aut stercora in vias dejicientes, aut ibi alvum exonerantes, fædissimo nidore urbem implent. Stramentum quo consternuntur viæ ante ægrorum ædes, sæpius renovetur; fimum equorum quotidiè exportetur ab urbe, vel extruatur ædificium in act. Acad. scient. (*p*) descriptum cujus auxilio tetro fumi odore vicinia non inficietur. Multis careret immunditiis Lutetia, si omnes ædes foricis instruerentur, & passim suffoderentur publicæ latrinæ. Expediret præterea ut quoties ædificatur, viri in eam rem præpositi locum constituerent, quo foricæ suffodi possent, minore tum ipsius familiæ, tum etiam vicinorum incommodo, & ut spiracula in altiori foveæ parte aperirentur, quibus ad summum culmen tectorum erectis, gravis odor expiraret; cum expurgantur foricæ, ignes iis crebro injici utile foret, & circum undequaque incendi, ut vapores perpetuò exeuntes corrigerentur: nonne tunc tempestivè Ventilatoris opera adhiberetur, ut indè brevi putrefacti halitus erumperent. Columbæ, cuniculi, sues, &c. intra urbem nusquam ali debent ob inhærentem odorem teterrimum. Id precipuè curandum, ut fora immunditiis quotidiè expurgentur. Ut torpore non putrescat aer ob domorum altitudinem, prohibeatur ne in ea urbis regione quæ vulgo dicitur *la Cité*, & quibusdam aliis, ubi aer ventorum beneficio everri non potest, ad tantum fastigium ædificia assurgant; & plebecula ad accuratam munditiem in ædibus servandam, Romanorum exemplo, addicatur,

(*n*) Hippoc. de flat.
(*o*) Plinii Hist. nat. lib. 36. cap. 25.
Dyonis. Halicarnass. antiquis. Roman, lib. 3.
Lancisi de advent. cœli Rom. qualit.
(*p*) Act. Acad. Scient. 1748.

(*r*) » Hoc quoque ædiles fungebantur officio intrandi ea loca quæ populum » receptabant, exigendique munditiem ac utilem & salubrem temperaturam.

Quam me juvaret, si civibus meis is esset animus, ut in sepeliendis cadaveribus, exemplum (*s*) hujus populi sequerentur quem diutissimè orbis prædicavit sapientissimum. Ille secus publicas, extra urbem, vias mortuos condebat, duplici vivorum commodo. Nam præterquamquod tumuli & inscripta monumenta, mortuorum laudes & fortia facta in occulto latere non patiebantur, & prætergredientium animis stimulos addebant, tum & id utile is mos afferebet, ut aer in urbe spiraret incorruptus. Circa ea quæ corrigenda censemus, exempla ex antiquis deprompta afferre non supersedebimus, quæ, omnia quæ proponimus, & fieri posse & profutura esse manifestius evincent. Institutum (*t*) Romanorum mehercle laudandum imitemur, apud quos, Transtiberinam regionem occupabant sordidi opifices; & ex Lutetiâ ablegentur olidæ merces, fullones, laniarii, coriarii, lotrices, figuli, candelarum sebacearum opifices, omnesque officinæ quæ tetrum spirantes halitum, cum sanitatis publicæ periculo, in urbe tolerantur. Animalium cadavera, lutum, urbis purgamenta, & stercora longiùs ab urbe exulare necesse est. Nec illud quoque parum ad aeris salubritatem conferret, si arva urbi proxima non stercorarentur.

Sermonem aliò transferre non sinit, materiæ de quâ aliquid injeci, in morbis creandis potentia. Argumentum illud jam à celeberrimis viris tractatum, eorum, quibus salutis publicæ cura est commissa, oculis sæpiùs non potest subjici. Si quis dubitat, an non solum insalubris, sed pestilens interdum fiat aer tetro aquarum putrescentium halitu, adeat opus elegans & numeris omnibus absolutum, quod de noxiis paludum effluviis scripsit Lancisi. Apud (*u*) Medicos & Historicos singulis ferè paginis occurrunt morbi epidemici, & pestilentiales ex fluminum inundationibus, & succedente postea flagrantissimo solis æstu orti. Non aliam agnoscit originem pestis quæ quot-annis in Ægipto grassatur, cum aquæ subsidunt, & venti australes oriuntur. Putridis aquarum stagnantium exhalationibus jure tribuuntur gravissimæ pestilentiæ, quibus olim Athenienses conflictati sunt, & quæ Romæ usque ad finem seculi XV sævierunt; indè (*x*) febres Pisauri, Stutgardiæ, Leydæ, Halæ, Possonii observatæ, quæ sporadicæ sunt in Belgiâ-Batavicâ.

Sequanâ extra ripas in urbem diffluente, turbidæ maleque olentes aquæ ex redundantibus plateis & viis in subterraneas ædium cellas affatim ingeruntur: postquam vero detumuit amnis, fluxiliores inclusi latices per terræ poros veluti per totidem venas sola ponderis inclinatione paulatim maximâ parte refluunt, sed in subterraneis cellis, quorum solum argillaceum nimis compactum, vel cæmentatum est ut aquæ possint effluere, illæ stagnant & cum cæno multiplici corruptæ, aerem insalubrem in viciniâ reddunt. In multis ædificiis reperiuntur putei, aquarum & omnium sordium receptacula, qui pessimum odorem spargunt. Apud lanios tales dantur piscinæ, ubi cruor, exta animalium & aliæ immunditæ dejiciuntur, in figulorum cellis aqua putrescit, apud amylopeos (*y*) triticum in aqua maceratum odorem intolerabilem spirat. Sed nullum vitium exitialius aer potest contrahere quam quo inficitur solo motûs defectu in locis occlusis & cryptis, ubi ab omni ventilatione diù prohibitus adeò, pesti-

(*r*) Senec. epist. lib. 13. ep. 86.

(*s*) Ramazzini l. c.

(*t*) Ramazzini l. c. in urbe ne sepelito. Lex XII. Tab. Athenienses, Judæi, Christiani, extra urbes inhumabant.

(*u*) Hoffman de temporibus insalub. Lancisi de nox. palud. Effluv.

(*x*) Morbi Epid. Germ. Hung. Pringle malad. des camps. ch. 1.

(*y*) Rammazzini b. c.

ſens evadit ut incautè adeuntes protinùs aurâ venenatâ prorumpente ſuffocet. (z) Quæquidem pericula præcaveri poſſunt, ſi vetabitur, ne opifices quid macerandum in cellarum fundo vel alio ædium loco, reponant, quod morborum ſit ſemen; & ne putei, recipiendis ſordibus deſtinati, effodiantur: ſi poſt maximas inundationes, aquæ in cellis non ſtagnent, & ex iis quidquid egerendum eſt, diligenter eruatur. Ad humidas ædium partes incolendas non redeant incolæ, cum ſubſidunt aquæ, ſed priùs vel ventilatione, vel accenſo igne, cubicula uda ſtudeant arefacere.

Aer qui vitæ pabulum merito dicitur; cum purus hauritur, corroſivam, & deleteriam vim acquirit, ab effluviis quorumdam mineralium. (a) Phyſicæ & Chemiæ gnarum non latet, ſulphura & ipſa metalla, ita vel à naturâ, vel ab arte poſſe mutari, ut ſub ſpecie fumi, vel pulveris tenuiſſimi, per aerem divagari poſſint. Mercurius, cuprum, ſtannum, plumbum, cobaltum, auripigmentum, biſmuthum, arſenicum, calx plumbi, minium, ceruſſa, ſandix, cryſocolla, viride æris, ſive igne aperto tractentur, ſive oleo aut vernice coquantur, ſive acidis jungantur ſpiritibus, ſive contundantur & in pollinem redigantur, ſive quocumque alio modo in auras diſſipentur, graviora mala producunt, mortemque ipſam afferunt, iis qui tales corroſivas, & adſtringentes particulas, aeris vice ſpirant. Atmoſphæram his effluviis fieri corroſivam, extra dubium eſt: in inſulis (b) Terceres & Bermudes, in quibus, multæ metalli fodinæ, ea eſt aeris corroſiva temperies, ut lapides, tegulæ ædium, & metalla citò rodantur, & conſumantur. Aeri cænoſo, multiſque ſalibus, & ſulphuribus arſenicalibus, & metallicis ſcatenti ſingularem morbum, porcellum caſſovienſem dictum, tribuit (c) Michaël Adolphus. Ab artificibus igitur qui arſenicum, plumbum, ſandaracham, aliaque jam dicta mineralia tractant, aura venenata expectanda, & timenda. Quæ hanc opinionem firmant argumenta, heu, frequentiora noſtris quotidiè ſubjiciuntur oculis, & in erudito operè Ramazzini de morbis artificum, ad unguem deſcribuntur. Opifices plumbarii, inauratores, ſtannarii, cuprarii, qui vitra argento vivo obliniunt, qui vitra colorata vulgò ſmalta conficiunt, colorum tritores, facile pallore & facie deturpatâ, totoque habitu emaciato & cachectico, agnoſcuntur; ſi à tam perniciosis artibus non ſe contineant, nervi brevi afficiuntur, undè tremores, ſtupores, diſpneæ, apoplexiæ, olfactûs & guſtûs imminutio, abolitio, colicæ illæ horrendæ pictorum dictæ. Tam graves & corroſivæ mineralium particulæ, illorumque fuligines teterrimæ, quæ cum certo vitæ periculo, ab opificibus hauriuntur, per vias publicas, & precipuæ ædes vicinas expanſæ, non ſubitò exitioſæ, ſed quotidianis acceſſionibus auctæ, morbos chronicos procreant, qui Medico cauſam illorum quærenti, multum negotii faceſſunt, hominesque talibus morbis oppreſſos & conſumptos vitâ expellunt. Ab amico, in rebus medicis verſato, accepi, duas mulieres eadem domo quo figulum utentes, cum in pthiſim incidiſſent, eidem ſeſe curandas commiſiſſe, nec ipſum eas ad ſanitatem revocaſſe, vel ſaluberrimis adhibitis remediis, quamdiu ibidem habitavere mulieres, quas poſteà cum eò adduxiſſet ille monitis, ut ad aliud hoſpitium confugerent, planè reſtituit. Procul igitur & ſine morâ, exulent ab urbe opifices miſeri, qui ſe & cives ſuos veneno tollunt.

(z) Journal des Sçav. 1667.
Epid. nat. curioſ. dec. 1. an. 1.
Mem. de l'Acad. des Sciences 1710.

(a) Boerhav. Chem. T. 1.
(b) Boerhave Chem. T. 1. Mundius de aere.
(c) Adolph. de porcello caſſovienſi Lipſ. 1746.

IV.

SECUNDUM aerem nihil in majori cedit uſu, quàm aqua; nihil eſt, quod majorem partem conferat ad ſanitatem, quàm aqua, pura, levis, pellucida; tunc verum quod cecinit pindarus ἄριστον μὲν ὕδωρ. Quæ urbes aquis bonis

utuntur, minus ſunt morbis obnoxiæ, inquit Hippocrates, (*b*) ex aquâ vero vitiatâ, morbi plurimi & epidemici oriuntur. Conſiliorum igitur venerandi ſenis (*c*) memores, ſi ſanitatem civium vel conſervare vel reſtituere cupiamus, aquarum urbis natura ſtudioſe nobis inquirenda eſt. Quot incommodis & morbis obnoxii vivant, quam maturè ſeneſcant, qui aquis ſtagnantibus & putrefactis utuntur, norunt illi qui Hungariam, Moraviam, Sileſiam, Zelandiam, peragrarunt; qui præſtantiſſimum Hippocratis librum de aquis & locis, morboſque caſtrenſes, a D. Pringle conſcriptos legerunt. Quis etiam hiſtoricarum, & medicarum rerum tam rudis, ut morbos endemios Sennenſium, Tyrolentium, & incolarum Stiriæ, Carinthiæ, aquâ crudiori & frigidiori productos, ignoret. Experientiâ jam edocti veteres in aquâ purâ ſibi comparandâ, diligentiores fuere. (*d*) Romæ aquarum cura, viris principibus demandabatur, qui curatores aquarum nuncupati, ſummis fruebantur honoribus. Quantas in aquam impenſas fecerint Romani, in Frontini opere videre eſt. Aquæ qualitatibus diſſimiles, diverſis receptaculis exceptæ, ad varios uſus deſtinabantur. Nunc perpendendum eſt, an optimis fluviatilibus & fontanis aquis gaudeant Pariſini: » (*e*) aquæ quæ optimæ coctu ſunt, » ac facillimè liqueſcunt, eas par eſt ventrem exſolvere ac eliquare«; illæ ſunt aquæ ſequanicæ vires. Aquæ fontanæ, ex vico dicto vulgò *Belleville*, decurrentes, bonæ etiam cenſendæ ſunt ex eodem Hippocrate; (*f*) » maximè laudare aquas oportet, quæ ex ſolis ortu erumpunt. « Experientia quæ in hujuſmodi argumento, fortius quàm ea quæcumque jactantur militat, aquam ex vico dicto vulgò *Arcueil* defluentem, ſequanicâ longè præſtantiorem eſſe evincit. Ea ſaluberrima eſt aqua, quæ puriſſima, quia paucioribus onerata partibus eterogeneis, ſive ſalinis, ſive aliis quibuſcumque, infuſa corpora ſolvit faciliùs; (*g*) ſi folia Theæ orientalis hinc aquæ ſequanicæ, indè aquæ dictæ d'*Arcueil* infundas, vincet hæc cùm odoris copiâ, tum ſuavitate ſaporis, quia ſcilicet aqua ſequanica ſalibus, & multis eterogeneis partibus ſcatens, nec penetrare plantam, nec ſolvere poteſt, nec totidem novas ſuſtinere particulas. Aquæ illæ fontanæ rarò & difficillimè vitiantur; nam ab ſcaturiginibus ſuis, tectis aquæ ductibus deferuntur ad fontes publicos. Crimine, ſed falſo, mea quidem ſententia, accuſantur aquæ vici dicti vulgò *Arcueil*, quibus vim calculum in veſicâ generandi, tribuerunt, (*h*) qui aquæ ductuum parietes incruſtari & obſtrui, temporis tractu non longiori, obſervarunt: phænomenon illud aliam agnoſcit cauſam, quam hic exponere intempeſtivum foret; ſed ſi (*i*) in hâc urbe multi calculo veſicæ laborantes reperiantur, rationem invenies, vel in incolarum numero penè infinito, vel in vitæ genere, magiſque in Chirurgorum peritiâ, quæ hoc morbo afflictos, ex omni Europæ parte lutetiam acccerſit. Aquæ ſequanicæ ſalubritati plus vel minus detrahunt quædam circumſtantiæ; urbis purgamenta & colluvies, immunditiæ ex omnibus officinis lanionum, coriariorum, fullonum, tinctorum, lotricum &c. perpetuò & maximâ copiâ, in amnem corrivantur, ſordeſque ex ædibus, in rivos viarum ingeſtæ, præſertim cum largi imbres cœlo ruunt; quibus accedit horrenda & contagioſa ſpurcities ex noſocomio dicto *Hôtel-Dieu* aſſiduò manans; influunt etiam rivi dicti *des Gobelins* aquæ ſordidæ. Aliundè pluribus compertum eſt experimentis, undas præter fluentes, ad aeris depurationem multum conferre, noxias particulas ex atmoſphærâ adtrahendo. An non, ex tot eterogeneis & impuris particulis orirentur colici dolores, & frequens dejiciendi cupiditas eorum qui ex aliis regionibus Lutetiam adeuntes, aquas fluviatiles bibunt? Quæ incommoda præcaverentur, ſi aqua hauriretur tantum ſuprà civitatem, ubi fluvius nondum ſordibus urbanis inquinatur. Maxi-

(*b*) Hipoc. de aere aq. (*c*) Hippoc. ib. (*d*) Plin. hiſt. nat. Herodot. lib. Frontin. de aquæ ductæ Romæ. (*e*) Hippoc. l. c.

(*f*) Hippoc. ib. (*g*) Hoc experimentum inſtituit celeberr. Præſes. (*h*) Mead. de ven. (*i*) Liſter voyage of Paris.

mis ficcitatibus ; aquæ fluviatiles noxiæ possunt fieri ; tunc enim lentius fluentes, & etiam in quibusdam locis stagnantes putrescunt ; minutâ aquarum copiâ, sordes quæ in sequanam derivantur, minus quam par est eluuntur ; aquis subsidentibus (*i*) plantæ aquaticæ & littorales fracescunt ; his causis procreatos fuisse, morbos endemicos, anno 1731 parisiis grassantes detexit (*k*) Antonius De Jussieu summus ille Botanicus, quem Botanice, & ejus cultores æternum desiderarent amissum, nisi superstes solaretur celeberrimus Præses, Theophrastes alter. Insaluberrimus censeri debet, potus aquarum ex glacie aut nive liquefactarum ; » aquæ glaciatæ frigidæ & turbatæ pituitosissimæ & raucosissimæ » sunt inquit Hippocrates » (*l*) : illæ quidem strumas & bronchocele montium incolis endemicos morbos producunt. Sequanicæ aquæ possunt inquinari, priusquam ad urbem pervenerint, cum in rivis affluentibus linum vel cannabis maceratur, quæ odorem & saporem aquis conciliant, lethalem piscibus & gravem hominibus, & aliquando vertigines, & morbos diuturnos procreant : unde sapienter cautum apud Anglos, sub pœna graviori, ne plantæ illæ, in aquis vel hominibus, vel animalibus destinatis, macerentur. Quâcumque causâ vitiata sit aqua sequanæ, remedium in promptu est, ut ab iis cives non lædantur. Ad omnes fontes publicos urbis, aquæ fluviatiles, & fontanæ ducuntur ; cum illæ vel turbidæ, vel putridæ, vel glaciales sunt, earum profluvium cohibendum est ; & in usus publicos defluant solæ aquæ fontanæ, quæ eadem lege semper scaturiunt. Ea etiam aquæ sequanicæ fœditas, quæ interdum ingruit, depelleretur, si cloacæ in quas purgamenta urbis exonerantur, non nisi infrà urbem, in amnem incurrerent. Non convenit hodie de salubritatæ aquæ, per fistulas plumbeas fluentis ; opiniones quæ meam sententiam firmant, hic paucis referam. Per canales plumbeos fluens aqua, certissimè virulenta fit, inquit (*m*) clar. Hebenstret, & hanc assertionem experientiâ comprobat; quæ vase plumbeo aliquantulum quierit aqua, dulcescit, epota, ventriculum gravat. Eamdem tenet sententiam illustrissimus Platner, (*m*) qui insalubres fieri aquas optimas existimat, si fistulis plumbeis ducantur. His recentioribus, accedit veterum turba, sola observatione edocta. Plumbo vitiantur aquæ, & ex eo cerussa nascitur, ait vitruvius. Qui tales hauriunt aquas, disenteriis laborant, si fides galeno, & fortunato fideli. Nonne ex hac causâ orirentur, colicæ quæ in quibusdam urbis regionibus Epidemice grassatæ sunt anno 1750? Quod præcipue fieret, cum aquæ turbidæ minutas volvunt arenas, quæ fistulas plumbeas abradunt. Incidunt casus, quibus plumbum fontium publicorum receptaculis instratum, magis fit noxium ; cum scilicet ex illis receptaculis egeritur limosa fæx, ab aquis residentibus, in fundum ejecta, ea forsan adhibentur instrumenta, quibus plumbum abraditur ; quæ enim ex illis fontibus prima manat aqua, eadem omnino symptomata procreat, quæ ex plumbo intra corpus admisso sequuntur, nauseam, vomitum, colicos dolores ; quod quidem adeo frequenter evenit, ut inter eos qui bajulant aquam, hæc causa lateat neminem : periculum illud vel minimo negotio præcaveri potest, si non liceat aquam haurire e fontibus recenter expurgatis, vel si receptacula lapideis parietibus instruantur, vel demum si levius everrantur. Adde quod suppresso fontium effluvio, sive resarciendorum canalium, sive frigoris causâ, non desunt in tubis curvaturæ, & cavitates, quibus sistitur unda quæ stagnans corrumpitur & plumbum solvit; si diutius aqua canalibus abest,

(*i*) Æstate siccâ, sequanam ad $\frac{5}{6}$ suæ altitudinis ineunte verè, subsidere observavit D. Mariotte. Traité du Mouv. des Eaux.

(*k*) Mém. de l'Acad. des Sciences. an. 1733.

(*l*) Hippoc. de acre aq.

(*m*) Hebenstreit Antropol. Forensis. sect. 1.

plumbum solo aeris accessu resolvitur; aquas ex his fontibus primum emissas quisquis hauriet in quantum veniet periculum! Quod confectis e lapidibus, vel ex argilla, vel etiam e lignis aquarum ductibus, abesset. Aquas puteales omitto; ad usus secundarios iis utuntur Parisienses; cloacis, & sterquiliniis vicini putei, ab iis inquinantur, virosoque sapore aquæ inficiuntur.

Exponenda veniunt alia potuum genera, plebi familiaria. Vinum, cerevisia, aqua vitæ vel naturâ suâ insalubria sunt, vel malis hominum artibus, vel abusu, noxia fiunt. Utinam horum potuum abusus qui præmaturam inducunt senectutem, & ex quibus morum dissolutio, & flagitia oriuntur, possent coerceri, illique apud quos venales prostant hi liquores, cuique quantitatem justo majorem non ingererent; sed heu talis probitas frustra desideraretur, in his qui lucrum ex alieno damno capiunt. Vinum varia experitur mangonia, quæ magis vel minus nocent; cum vina vino, aqua vitæ, & Baccarum sambuci succus, vino, miscentur, leves noxas inferunt illi potus; majora verò incommoda pertimescenda sunt, cum vinis adjiciunt œnopolæ, calcem, gypsum, nimiamque sulphuris copiam incendunt in doliis. Sed pessimis artibus quæ sanitatem destruant, vina sæpiùs adulterantur. Vina tenuiora, acida, acescentia, nefando mangonio per lythargirium aliásve plumbi, & bismuthi præparationes edulcorantur, unde (*o*) dolores intestinorum, colica pictonum, paralysis, mors. Hi vinorum corruptores, veneficorum crimine sontes, illorum supplicio plecti deberent. Illud quoque culpandum occurrit, quod apud caupones vina stillent in plumbum, & in eo resideant, quodque potoribus, vina apponantur in poculis maximâ parte plumbeis, quos usus Clariss. Rouelle (*p*) damnat ut maxime noxios. Sanitati infensam indolem quandoque â naturâ accipiunt vina; cum nimis acerba, acida, & recentia potantur, diarrheas, dissenterias, colicos dolores procreant; hæc & graviora adhuc symptomata accersere valet mustum; vinum illud intrà corpus receptum, brevi calore loci in fermentationem rapitur, tunc spiritus seu *gas* helmontii oritur, quo nullum venenum adeo celere, adeo lethale, adeo subtile, reperias, maximaque aëris quantitas ex musto exsolvitur, qui expansione suâ atroces affectus flatulentos generat, quæ mala præcaverentur, si prohiberetur ne mustum, vinum recens & turbidum, vel vinum secundarium, ex vinaceis expressis superfusâ aquâ confectum, venderetur.

Sæpissimè herbæ temulentæ, lolium, cystus ledon, lupuli nimia copia, piper, therebenthina, calx, fuligo, lupulus mucidus & corruptus, vel malâ fraude, vel avaritiâ, vel negligentiâ cum hordeo aut tritico incoquuntur, quibus vim nocendi acquirit cerevisia: aquis etiam putridis utuntur multi, ut potè aptioribus cerevisiæ conficiendæ. Cum per æstum acessit cerevisia, sal alkali maximâ quantitate in eam injicitur, undè humorum corporis dissolutio, corruptio; vel lythargirio aliisque plumbi veneficis præparationibus edulcoratur, quæ omnia sanitati infensa legibus possunt coerceri: sed nulla deleteria magis censenda est cerevisia, quam quæ saliens dicitur, & cujus accuratâ obturatione, diu prohibita fuit fermentatio, quæ quidem ut & mustum violentissimè fervet, & in ventriculo intestinisque, tum spiritus silvestris stimulis, tum aeris expansione fermè incoercibili, vomitum, colicam, diarrheam, choleram morbum concitat, mortemque ipsam infert; quod non fieret, si non venderetur Cerevisia, nisi postquam deferbuisset.

Alimentorum venditio, legum arbitrio, magis regitur, quam multæ jam descriptæ morborum causæ communes; cordati igitur est medici, illorum ciborum

(*n*) Platner opusc. prolus. de aquâ salubriori.

(*o*) Ephem. nat. curios. decad. 3. an. 4. observ. 30. 92. 100. an. 5. obs. 261.

(*p*) In annuis prælectionibus chemicis.

naturam inquirere, & de noxis quas iis inesse deprehenderit, admonere magistratum, cujus cura illa debet esse primaria, ne publicè veneant, quæ sanitatem civium destruere possint, & ut vendentium malitia, adulterationes, & negligentiæ periculosæ, omnibus cognoscantur. Multiplex est alimenti genus, sed de vulgaribus, & plebi magis familiaribus, hic tantum tractabimus. Secale & triticum, quibus ferè solis panes in hâc urbe conficiuntur, illis sanitati infensam indolem communicant, cum ea vel morbis afficiuntur, vel agrestibus seminibus miscentur, vel depravantur in granariis, vel in farinam redacta vitiantur. Morbis peculiaribus vegetabilia, ut animalia laborant; omnia morborum genera in tritico & secali hucusque detecta, describuntur ab eximio physico (q) cujus opera, & ea quidem non pauca, utilitatis publicæ notam insigniter præ se ferunt. Ex his morbis duo in tritico observantur, caries & ustilago, quos cum comitetur corruptio, ideò noxios esse docet ratio; omne enim putridum naturæ sanæ inimicum est: sed morbo (r) multò magis exitiali, quem Galli dicunt vulgò *Ergot*, secali sæpissimè afficitur, undè tunc apud varios autores secale cornutum sive corniculatum dicitur: qui hoc vescuntur homines, apoplexiâ, convulsionibus, corripiuntur, vel iis sponte separata cadunt membra sphacelo corrupta: morbi etiam epidemici ex hâc morbosâ vegetatione orti, leguntur in Ephem. nat. curiof. Cum secali & tritico nascuntur sæpè & colliguntur semina plantarum, quarum aliæ ut convolvuli, lychnidis, papaveris, meliloti, viciæ, nigellæ, raphanistri aveuæ silvestris, &c. si non nocent, malè nutriunt: aliæ ut lolium, temulentiam producunt. Si secale & triticum quæ humidam aeris constitutionem experta sunt, vel tempore messis pluviâ imbuta, adhuc madida colliguntur, humidis-ve coacervantur locis, brevi situm contrahunt; ex his farinis vel aliis vetustate corruptis, confecti panes, febres intermittentes, putridas, malignas sæpissimè procreant. Varia insecta deprædantur frumentum, quæ cum illo, magnâ quantitate, triturata non sunt innoxia. Panis non tantum veneficâ facultate carere, sed & nutriendi virtute pollere debet; nutritioni autem minimè idoneus est, cum non satis fermentescit, subigitur, & coquitur, undè gravis & dispeptus fit.

Causæ morborum & mortis aliquando, una cum oleribus venduntur, ob in salubrium cum salubribus similitudinem, incuriamve & ignorantiam mercatorum & emptorum. Cicutæ foliis pro chære-folio, vel petro-selino, cicutæ hyosciami & œnanthe radicibus pro pastinacâ & sisarâ, belladonæ radice pro cichorio, ranunculi pallustris radice pro apio palustri, utentes multi (s) sibi mortem consciverunt; pastinacæ etiam radices vetustiores, virulentæ & noxiæ observatæ fuerunt. Fungi quibus audax omnia experiri gula humana delectatur, maximè fallaces sunt (t) & notis certis carent quibus noxii, ab innoxiis secernantur; undè crimina fungorum quisque millia recenset; quot etiam morbi chronici non aliam agnoscunt originem! Solliciti igitur debent esse rectores civitatum, ne corruptus vetustate cibus, malisve artibus alteratus, vel indolis veneficæ, negligentiâ, vel ignorantiâ vendentium, venalis prostet. Cum locupletior fructuum horæorum proventus est, sæpe debitam & salubrem non assequuntur maturitatem; quandoque minus favens anni constitutio, stercoratio, vel ros venenatus, (u) & nebu-

(q) Mr. Duhamel, traité de la culture des terres. t. 4.

(r) Journal des Sçav. 1676. Mem. des Sçav. Etran. l. 1. Carthenser. fundam. Pathol. l. 1. Ephem. nat. curiof. dec. 3. ann. 2.

(s) Wepfer. cicut. aquat. Ephemer. nat. cur. dec. an. 1 & 2. *Journ. de Médec. Novembre* 1758.

(t) Skenkius obser. med. lib. 7. Hildanus cen. 4. pessima memorat symptomata, cuidam accidisse, qui manibus fungos versabat.

(u) Authores plurimi de rore venenato, luè rubigali, & nebulis scripserunt, quæ cum inficiebant, fructus & fruges, morbos epidemicos procreabant, vel aliis gravibus effectibus malitiam suam prodibant, vide Ramazzini, constitut. Epid. Ephem. nat. curiof. decad. 3. an. 9.

læ lethiferæ, alimentis vitium inducunt. quo vim morbosam & virulentam acquirunt: his vili pretio emptis, sese ingurgitat plebs, undè quo abundantior fuit annus fructibus, eo etiam frequentiores sunt diarrheæ, dysenteriæ, colicæ. » cum Parisiis (x) anno 1671. immodicus foret fructuum fugacium esus, vagata sunt tormina, fluores alvi. » Tantus horum ciborum acor est, ut etiam athleticâ sanitate fruentibus, graviora mala procreent, & imprimis colicam illam horrendam à colicâ pictonum non absimilem, cujus historiæ accuratæ & elegantes extant, in operibus doctissimi Citois, (y) & Medicinæ practici præstantissimi Huxham, (z) quibus morbis careret plebs, si fructus immaturi huc non deferrentur, nec ad ementium ingluviem venderentur.

Lactis bonitas & sinceritas ne adulteretur, eo magis invigilandum est, quod cum ejus alimenti usus sit frequens omnibus, ferè unicus est infantibns in ætate ternerrimâ, & iis etiam quos aut natura imbecilles facit aut valetudo, illis vel minimum lactis vitium potest nocere. Sæpissimè Parisiis lac deterioratur aquâ infusâ, vel vitiatur immixto fare, aut cum vaccæ amili vel cerevisiæ fæce vescuntur, quæ quidem legibus severissimis Magistratus coercere valdè interest.

Non minima victûs pars caro est, sed quam referat, illam absque censurâ publicâ divendi, probant morbi epidemici (a) qui pestes bovillas & vervecinas pluries secuti fuerunt. Quidquid in escam assumitur, suam non penitùs exuit indolem, putridis, & corruptioni proximis, alimentis, chylum & sanguinem corrumpi necesse est, ad morbosque accedere. Omninò igitur à macellis arceantur, animalia macilenta & quovis morbo laborantia, carnes fœtidæ & grandinosæ; caveaturque ne carnes illæ sale condiantur, fumove indurentur.

Pisces aliquando, morborum in vulgus grassantium, causæ fiunt; plebis enim in usum cedit illud alimentum, cum pisces, sive mortui sint, sive ex aquis sordidis eruti, cœnum oleant & sapiant, vili pretio venduntur. Præterea piscium ingurgitatio, his hominibus insolens, periculosior fit; unde littorales incolæ, qui pisces in sicco manentes & pereuntes edunt, morbis pestilentialibus vexantur. Nonnisi post debitam explorationem veneant pisces, ne venditores piscem mortuum sanguine recenti aspergendo fallant emptores: prohibeatur ne sedeant mercatores, ut apud Romanos sancitum erat; merces vendere festinantium non putrescent; caveaturque ne haleces nisi bonæ notæ desiccentur.

Cum salutis publicæ commodo, amovebuntur mytuli amplis valvis, ostrea tempestate fervidâ tantum, ut & ova mustelæ & lucii quæ comesta choleram & diarrheam cient.

Nullo tempore, plures & graviores morbi ingruunt, quam annonæ caritate, aut adhuc recenti, aut diù sæviente: tunc enim inops plebecula, pravis alimentis impletur; quodque non minus funestum, penuriæ copiâ succedente, cibis sese ingurgitat: ex his verùm fit adagium, pestis post famem. Sed hanc calamitatem cum a nobis avertat pia magistratuum cura, præcavere omnino supervacaneum est.

Non intempestive hic admonere possem, singulis diebus quam plurimos cives in sanitatis & etiam vitæ discrimen adduci, dum in coquendis obsoniis, crateris è cupro confectis incautius utuntur; sed meam curam antevertit (b)

(x) Ballonn. Ephem. ann. 1671.

(y) De novo & populari apud pictones dolore colico bilioso.

(z) De morbo colico damnoniorum.

(a) Ephem. nat. cur. dec. an. 6. Kircher de peste. Fernel pathol. de morb. intest.

(b) Quæstio med. an ab omni re cibariâ vasa ænea prorsus ablegandâ? 1749.

cumulavit,

D. Thiery Doctoris Par. industria quæ hoc argumentum ita cumulavit, ut nihil jam possit accedere; cujus monita ratione simul & experientiâ munita, metallum exitiosissimum jam pridem à nostris culinis debuissent ablegare. Illud tantum studio publicæ sanitatis exoptabo, ut non liceat vasis cupræis uti iis qui hominum eodem convictu degentium mensas curant, vel cerevisiam coquunt, vel fructus sacharo condiunt.

V.

MULTÆ adhuc sunt causæ sanitati civium infensæ, quæ, quanquam non tam latè in omnes grassantur, quàm, aër, aqua, panis, magistratuum tamen oculos in se convertere debent, cum inde complures cives vel laborent vel etiam intereant.

Ex subtilissimis calcis vivæ & gypsi vaporibus, frequentissima oriuntur incommoda in hac urbe, in quâ multæ ædes extruuntur & veteres sæpius calce aut gypso obducuntur & dealbantur. Dum extinguitur calx, vapores acres corrosivi assurgunt, quibus os, fauces, pulmones fabrorum murariorum asperantur, totusque eorum deturpatur habitus. Eadem & graviora adhuc mala imminent iis qui domos recenter vel exstructas vel calce aut gypso obductas incolunt. Aqua maxima quantitate absorpta, dum calx extinguitur, & gypsum humectatur, paulatim ex parietibus cubiculi calore attrahitur, & cùm eâ acres calcis & gypsi particulæ in aerem miscentur: quidam accensis ignibus student arefacere domos, hac cautione periculum depelli existimantes, sed falluntur; humido aëre, iterum imbuitur calx parietis, illaque vim deleteriam mox rursus exeret, cum cubiculi calor, evaporationi novæ hujus aquæ scatentis salibus acribus, favebit. Falsum terrorem hic non incuti, probatur experientiâ (*a*). Hippocrates qui in morborum historiis, non nisi res maximi momenti refert, scripsit Hermocratem, qui juxta murum novum decumbebat igne correptum fuisse. Jovianus Imperator diutius moratus in conclavi recenter calce incrustato extinctus est. Cum musæum jam vetus calce illini curasset Ramazzini, & sex mensibus transactis ibi habitasset, acutâ febre correptus est. Tres infantes cum in camera, non ita pridem calce obductâ dormiissent intra duos dies suffocati periêre. Ex his satis patet, quantâ cum omnium utilitate sanciretur, ne domus recenter vel exstructæ, vel calce & gypso obductæ; & dealbatæ, tam citò incolerentur: apud Romanos edicto vetitum fuisse, testatur Plinius (*b*), ne æde recentiore trimâ uteretur redemptor.

Morem apud nonnullos innoxium habitum non possum quin hic reprehendam ut exitiosissimum. Tam in ædibus divitum quàm in artificum casis, parietes coloribus variis illitos videas, intra quos vel recentissimos quoque habitare non dubitant: illorum ædes superinducuntur resinis spiritu vini solutis, quibus olea etiam adduntur: horum tuguria argillâ oleo subactâ illinuntur quarum mixtionum utramque pariter assero noxiam. Odores sunt vel fluida vel solida in particulas adeo tenues resoluta, ut ab aëre sustineantur, cujus vehiculo, aliæ ad organa sive odoratûs sive gustûs deferuntur, aliæ infra pectus & ventriculum recipiuntur, aliæ denique toti corporis superficiei circumfunduntur, & iis in locis varia edunt phænomena. Odores in nervos agere ex effectuum celeritate deprehenditur, quæ actio nunc intensior nunc diuturnior, sive sensatio jucunda sit sive injucunda, aut nervos nimis irritat aut eorum sensum hebetat, adeoque odore vivido & assiduo minuetur odoratus & adulterabitur, appetitus languescet, caput gravabitur, pectus laborabit: si materia unde odor effluit sit acris & corrosiva, prædicta symptomata increbrescent & difficiliùs

(*a*) Hippoc. Epid. lib. 3. Ramazzini. l. c. Tulpius. lib. 3. Hoffm. tom. 1. part 2. cap. 9.

(*b*) Plin. hist. nat. l. 36. cap. 23.

curabuntur; quod quidem periculum, præcipuè calores oleo fubacti, minantur; fcilicet oleum quo in eam rem utuntur, aut jam eft, aut citò fit rancidum, totumque aëre ebibitur, cum id tantum artifici præftiterit, ut colores hærerent.

Apud plebem potiffimum mos exitialis eft, multorum fingulis hiemibus civium pernicies. Ii quibus parandorum lignorum, copia non fuppetit, prunis utuntur, quarum calore & exhalationibus brevi folvitur aeris elafticitas, & ille celeriter necem omnibus animalibus infert; id teftantur triftia & frequentiffima exempla quæ paffim occurunt, phyfica & medica monumenta evolventibus. Plebi praviffimæ cuique confuetudini ineluctabiliter addictæ, errorem quo ducitur eripere forfan impoffibile eft: at multi certè tum à morbis, tum ab ipfâ morte præftarentur incolumes, fi hunc morem publicis utriufque fexûs hofpitiis, ufurpari nefas effet. Cum hypocaufta quibus prunæ continentur è cupro conficiuntur, periculum augefcit, exhalationibus quas emitit cuprum candens, ad vaporem carbonum accedentibus. Hypocaufta etiam è ferro vel ære confecta non innoxia cenfenda effe probat experientia; aer inquinatus effluviis ferri & æris calefacti, in fele illico excitavit convulfiones & agonem intrà minutum: illi effectus calori immeritò tribuerentur, cum aer qui per vitrum candefactum tranfivit nequaquam nocuerit refpirationi.

Haud fcio an quifquam de republicâ & plebe præclariùs mereretur quam qui vetaret, ne artem obftetricariam ullæ mulieres, nifi de quarum peritiâ & probitate conftat, profiterentur. Innumeri cafus quibus fæminarum vulgus obnoxium eft, earumdem ut plurimum depravata conftitutio, partus facefcunt difficiles & præternaturales, crebriores quam vulgò exiftimant; tum verò ignara vel imperita obftetrix infanti vel lucem nondum confpectam, vel matrem nondum cognitam præripere poteft, aut etiam, utroque necato, fuâ fpe fraudare civitatem, aut vulnerato faltem, inutili pondere onerare rempublicam. Quæ mala non aliter præcaveri poffunt, quam fi peritiffimæ tantum comprobentur obftetrices; quibus etiam illud injungi valdè appofitum effet, ut in difficilioribus cafibus, ad Medicos vel Chirurgos partus eliciendi peritos, confugerent. Sed illud maximè reipublicæ expediret, ut annua pecunia ex ærario adminiftraretur viris in arte obftetricariâ peritis, quibus plebs gratis uteretur. Jam non videres partum etiamnum immaturum, necdum à naturâ fatis caducum, avaritiâ feftinari, & à naturali in præternaturalem fubverti (*c*): plus certè Reipublicæ ex ejus inftituti commodo accederet, quam fumptu detraheretur.

Lupanaribus etiam magiftratum invigilare, utiliffimum foret: corrumpere & corrumpi ludus cenfetur hodie, & à fœculi moribus non veniam tantum, fed ferme plaufum invenit; quaque viâ Parifiis fuum habet lupanare, quæque fere domus fuam meretricem agnofcit. Juventus in vitium flecti cerea, ad venerea invitatur certamina, quibus fuccos robufto corpori conftituendo aptos confumit: brevi corporis robur & animi vigor profternuntur, languore & tabe dorfali pereunt multi, fuperftitefque, fi aliquam, debilem, procreant fobolem, nec belli nec pacis operibus idoneam: fed non ea fola funt, blandientis & perfidæ deæ munera; lues venerea ante trecentos annos incognita, medicos frequentius hodie exercet quàm quilibet alius morbus (*d*). Impurâ vagâque venere, quâ nihil peftilentius eft, longe latèque diffeminatur virus horrendum, quod acerbis cruciatibus miferos plerumque opprimit: cum vero adeo felices funt, ut me-

(*c*) Encyclopedie art. enfantement.

(*d*) Facete fed vere dixit *Pangloff. On peut affurer que quand 30000 hommes combattent en bataille rangée contre des troupes égales en nombre, il y a environ 20000 V. . . . de chaque côté.* Candide *ou* l'Optimifme, pag. 27.

dicamentis extinctum fuerit venenum, vitâ languenti, morbis obnoxiâ, & senio præmaturo, pœnas suæ, vel parentum, vel nutricis insipientiæ debitas persolvunt. Ex illa promiscuâ scortatione, quâ plebs lue venereâ fere totus inficitur, prole numerosâ destituitur respublica, inutilibusque obruitur civibus: maxima igitur in hac urbe calamitas metuenda est, si tantis malis non occurratur vel scortationem omnem legum asperitate coercendo, vel quodlibet aliud remedium afferendo. Si lupanaria permitti necessum videtur, vel illa reprimi impossibile sit (e), expediret ut meretrices identidem explorarentur, & lue venerea inquinatæ sumptibus publicis curarentur, & non nisi expurgatæ & sanæ dimitterentur; sic forte virus venereum mansuesceret.

Sanitati publicæ adhuc consuleretur, si nutrices quæ huc ex viciniâ accedunt, infantes ablactandos accepturæ, explorationi subjicerentur, & infantes sani, sanis nutricibus crederentur; & si infantes e parentibus lue venereâ infectis orti, non a mulieribus alerentur, ne contagio ad eas pertineret, sed aliis quibuscumque rationibus, hucusque diversimode (f) excogitatis.

Nihil funestius civium saluti, nihilque Parisiis frequentiùs quam medicastri, agyrtæ, milites, herbarii, vetulæ, & sexcenti alii ejusdem farinæ, qui Hygeæ sacra illotis aggrediuntur manibus.

Fingit se Medicum quivis idiota, sacerdos,
Judæus, vates, histrio, rasor, anus.

Quam infelix plebs, quæ stultitiâ suâ tot mala quibus laborat etiam certis cumulat periculis, dum obvio cuilibet inepto, sanitatis sponsori, se credere non dubitat! Inter eos circumforaneos, plurimos reperias, qui remediis perperam adhibitis, aut etiam veneno quo utuntur, arsenico, saccharo Saturni, sublimato corrosivo &c. vel ingestis vel applicatis, millies meruerunt mortem, quâ tot alios crudeliter enecarunt: alii crumenarum emunctores, ineptis remediis dum plebeculam deludunt stolidam furum numero deberent accenseri. (g) » Utinam Magistratus »quos Deus veluti patres familias constituit, impostores illos, qui ubique fere tam »arroganter ludunt de corio humano, ex officio reprimant,« nec unicuique licitum sit sanitatis & vitæ periculum adire, cives enim non sui sunt, sed reipublicæ. Ex eo etiam major utilitas reipublicæ afferretur, si nulli alii medicinam in hâc urbe exercerent, nisi qui prius huic collegio fuissent aggregati; incidunt enim sæpe casus difficiles, quibus vel peritissimus quisque hæreat anxius, & egeat consilio, quo quidem auxilio caret æger qui, nullo suo jure medicinam in hâc urbe facienti, vitam credit imprudens.

Heroica medicamenta dicuntur, quorum ea vis est & celeritas, ut cito vel ad vitam reducant vel in mortem præcipitent, vel morbis insanabilibus afficiant; qualia sunt mercurialia, antimonialia, opiatica, drastica, &c. Ea adhibeantur vel non, maximi est momenti. Intempestivè enim præscriptis iis, vel dosi justo majori ingestis, vita & sanitas periclitantur. Multis itaque occurreretur malis, si vetaretur ne ejusmodi remedia ab ignaris vulgarentur, aut etiam ab iis, quibus est jus, distribuerenrur, nisi ex jussu Medici probati, & in hâc urbe medicinam suo jure exercentis.

Sunt quædam remedia quæ ne distribuantur valdè conducit, quia scilicet accedente ad indolem vitiosissimam summâ celebritate, plurima indè nascuntur pericula. Hujus generis est pulvis *d'Aillot* quem D. Thierry D. P. probavit (h) nocentissimum; aut quia prorsùs inepta, qualia *les Sachets d'Arnou*, utentibus afferunt securitatem, cujuslibet aliûs remedii efficacioris contemptricem. Illud præ-

(e) Traité de la Police, T. 1. l. 3. Tit. 3.
(f) Falconet, systheme des fiévres p. 112.
Mr. Vandermonde D. P. perfect. de l'esp hum. t. 2.
(g) Hildanus cent.
(h) Journal de Médécine, Mai, 1758.

terea mihi liceat, cum celeberrimo chymico jam laudato exoptare, ut palam & uno tantum modo conficiantur medicamenta quædam, ut tartarum ſtibiatum vinum antimonii, &c. quorum ſua vis, & doſis præſcribenda, ab ipſo conficiendi methodo (*i*) pendent; quis verò ignorat, vim remedii non accuratè ſpectatam & Medico nocere, qui id quod intendit non aſſequitur, & ægro, apud quem, medicamentum vel languet iners vel furit nocens.

Argumentum immenſum delibavi, quod ut quantum patet & valet exponeretur tempore opus eſſet diuturniori, quàm per quotidiana licentiæ cursus ſtudia ſuppetit; judicabit quiſque, an ex paucis quæ ſcripta ſunt, jure ac merito mecùm concludi poſſit.

(*i*) Multæ ab iis apud quos venalia proſtant medicamenta, fraudes & mangonia admittuntur, magno publicæ ſanitatis detrimento, quæ omnibus detegi expediret, ſed arduum opus eſt, quod non cujuſquam perfectius, quam D. Rouelle auſpiciis prodeat, ſivè ſpectetur utilitas, quæ civem patriæ ſtudioſiſſimum, ſive ſcientia, quæ chemicum expoſcit peritiſſimum.

Ergò Medicis & Magiſtratibus conſpirantibus, ſanitas publica conſervari, & morbi præcaveri poſſunt.

Proponebat Pariſiis ACHILLES GUILLELMUS LEBEGUE DE PRESLE, Aurelianenſis, Doctor Medicus Remenſis, ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Author, A. R. S. H. 1759.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Med. Typographi, 1759.